

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

Ioanni Fridericho Duci Saxoniae, Marchioni Misniae.

Electori Imperiali &c. Domino S. benignis. Ioan-
nes Schonerus Carolostadius S. D.

V M quasi historiam quandam rerum caelestium nuper pictura & descriptione nostra retexeremus, nam illam iam olim quoque edideramus, non solum inuitante nos uoluntate tua cognita mihi de sermonibus doctissimi uiri Georgij Spalatini, sed etiam fama uirtutum tuarum, placuit nomini tuo illud opus dedicare, Princeps Illustriss. bona cum spe futurum & illud gratum tibi & non indignum magnitudine ac claritate tua. Etsi enim ingenij mei tanta facultas non est, ut aliquid elaborare conueniens Excellentiae tuae ualeat, tamen ea est rei quam exponendam suscepimus praestantia, ut ipsa te ornare possit, in eius autem tractatione studium meum, & uoluntas boni consuli, uel etiam satis esse debere uideatur. Sed cum in illa caelesti sublimitate uersantis oculis subiectae terrae sese offerrent, non relinquendum hoc mihi opus hac a parte imperfectum uisum est, ac rectum potius esse, ut nutritrix nostra alma tellus nostra etiam opera celebraretur, praesertim cum iam ante extaret, & hoc in argumento scriptum nostrum editum ante annos sane multos, atque eam ob rem minus ut his temporibus plenum propter eas quae quotidie a nauigatoribus nouae terrae ac insulae reperiri nunciantur. In hoc autem nostro recenti scripto, etiam breuitatem quandam custodiimus, neque sumus nisi necessaria & coniuncta cum re persecuti, quod in superiori non feceramus, in quo & superuacua quaedam, & nonnulla inconuenientia fortasse contineri, seueriori iudici uideatur. Cum autem caelestis materiae opus dedicassemus Excellentiae tuae, placuit & terrae hanc fabricam eidem addicere, ut cuius particulae gubernatio & cura tibi commissa esset, eandem uniuersam contemplari, quamuis paruo in globulo, & perlustrare posses. Quae res eo facilius mihi fuit, quod apertior uia & aditus ad Excel. tuam illa superiore dedicatione factus uidebatur, etiam T. Excel. quae concupiuisset in explicatione rerum caelestium operam nostram, non gratam acceptamque hanc terrenae compositionis habituram, metuendum nequaquam ac potius quadam maiore cum uoluptate in hac parte, quam illa studij nostri & laboris uersaturum, credidi. Quamuis enim illae sint diuinae ra multo & altiora, tamen haec quasi domestica quaedam plus habent certe delectationis. Vtque regias domos suspicimus, in nostris acquiescimus, ita caelestia admirantes uenerari, terrena colere, & insistere uolu-